

DE CRISI IDEALISMI APUD GEORGIUM EDUARDUM MOORE

SAECULO XIX tendentia idealistica fere ubique campum philosophicum tenebat. Philosophica speculatio quae huic tendentiae adhaerebat ad plures conclusiones pervenit, quae valde remotae erant a spontanea hominum persuasione de realitatis natura. Inter quas conclusiones precipua conclusio idealismi integralis affirmabat obiectum cognitionis esse totaliter immanens subiecto cognoscenti. Quod quidem reponebatur vi *principii immanentiae*, iuxta quod *esse est percipi*. Hoc principio freti, Idealistae asserebant obiectum cognitionis non existere nisi ut actu conscium; immo illud esse totaliter ab activitate cognoscitiva productum, ita ut eius *esse* in purum *cognosci* resolvatur. Iuxta ipsos igitur omnia, cum res tum facta circa res, ab operatione alicuius mentis dependent, nec ulla facta extitissent, nisi mens quaedam extitisset. Aliter enim ac reputant realistae, mentis non est facta recognoscere, verum etiam ea constituere. His igitur ac similibus praesuppositis freti, plures idealistae aliquam metaphysicam *entis idealis* construere conati sunt.¹

Tendentia idealistica etiam in Anglia diffundebatur, ubi F.H. BRADLEY et B. BOSANQUET campum philosophicum dominabantur. Isti philosophi repraesentabant Idealismum Absolutum, etsi aliquatenus modificatum.² Difficile sane est paucis verbis dicere qualis natura idealismi anglici tunc temporis fuerit. Volebat enim aliquod systema metaphysicum construere, pervenire ad aliquam conclusionem generalem circa universum in sua totalitate, dare interpretationem ultimam de ipsa realitate. Cupiebat partiales particularitates scientiarum transcendere et, relinquendo veritates, ut ita dicam, fragmentarias et provisorias, ad completas, definitivas et ultimas veritates pervenire. BRADLEY praesertim nolebat sistere in visione quae universum repraesentabat ut meram pluralitatem et conjunctionem obiectorum fragmentalium disiunctorum. Iuxta ipsum natura realitatis unificatur in Absoluto, ubi distinctiones disparent, separatio superatur, relationes confunduntur. BOSANQUET putabat solum Absolutum

¹ Cfr. v.g. MORANDINI, F., *Critica*,⁴ p. 67s; SALCEDO, L., *Critica*,² n. 189ss.

² 'Hegelianism modified by Anglo-Saxon caution'. N.J. PATON, *Contemporary British Philosophy*, Third Series, p. 343.

posse nobis satisfacere. In Absoluto sperabat posse inveniri inconcussum fundamentum ethicae; tenebat enim totalitatem sese exprimere in valore. J.E.MCTAGGART putabat metaphysicam idealisticam nobis magnum commodum afferre posse. — Literatura autem idealistica apud nonnullos scriptores eo tempore peculiarem stylum induebat, cuius indoles saepe rhetorica, solemnis et vaga, haud raro sensus claritatem obscurabat.

Contra hanc philosophiam quaedam reactio erat simul exoptanda et expectanda. Ne dicamus talem philosophiam longe a veritate obiectiva aberrasse, sufficit notare quam diversa a nativa traditione anglica fuerit. Idealismus enim erat doctrina ab aliis regionibus in Angliam adducta, et licet brevi tempore multum profecerit, tamen diversam ac traditionalem prosequatur viam. Reactio quae proinde expectanda erat, ad antiquam traditionem reverti debebat; et de facto, quando revera facta est, eius duces praedecessores habebant ad quos appellarent. Reactio tamen tanta vi ducebatur ut ex ea nova orta sit schola philosophica.

Schola Novi Realismi, ut vocata est, maxime debetur influxui G.E. MOORE et B. RUSSELL. Plurimum autem ei contulit Moore.³ Ipse enim eius extitit auctor et inspirator, et in suo opere omne illud quod huic scholae est magis proprium repraesentat. Communem quem vocant sensum extollens, realismum excoluit ac propugnavit, et novam methodum, analyticam nempe, in philosophiam anglicam introduxit, quae deinde etiam in Americam Septentrionalem diffusa est. Ope sui laboris philosophici idealismus in Anglia paulatim derelictus est.⁴ Hoc autem Moore efficere potuit non solum solidis argumentis in contrarium, sed praesertim eximio sui characteris et indolis influxu, cum scilicet novam quamdam activitatem

³ George Edward Moore (1873-1958), educatus est in Universitate Cantabrigiae, ubi postea (an. 1911) docuit Philosophiam Moralem tamquam *lecturer*, et deinde (an. 1925) cathedram philosophiae occupavit. Erat director ephemeridis *Mind* (1921). Scripsit: *Principia Ethica* (1903); *Ethics* (1912); et multa studia magni momenti in *Mind*, *Proceedings*, et *Supplementary Volumes Societatis Aristotelicae*. Multa scripta iam hoc modo publicata dein edita sunt in *Philosophical Studies* (1922), *Some Problems of Philosophy* (1953), et *Philosophical Papers* (1959). His addi debent 'Autobiography' et 'A Reply to my Critics' in *The Philosophy of G.E. Moore*, ed. P.A. SCHILPP, in 'Library of Living Philosophers' (1942).

⁴ 'By his own [Moore's] writings, and the influence which he exercised on contemporaries like Bertrand Russell, and, (as Keynes has testified) on a whole series of able men of a younger generation, he did more than any other person to undermine the hitherto predominant influence of Kantism and Hegelianism in England'. C.D. BROAD in *The Manchester Guardian*, Oct. 25, 1958; item in *Philosophical Studies*, 1959.

philosophicam, suae indoli conformem, evolveret, ad quam allecti philosophi idealisticam speculationem dereliquerunt.⁵

Sane indoles Moore talis erat quae eum apprime a coaevis philosophis secerneret. Tendentia et aptitudine ad metaphysicam carebat; nulla problemata personalia, quibus solvendis impelleretur, experiebatur. Sed dicta aliorum quae ei non placebant renuit accipere, et haec impugnabat. Sic non philosophus realitatis extitit, sed philosophus philosophorum. Senex factus ipse fassus est nec mundum nec inventa scientiarum ullum problema sibi posuisse; e contra placita philosophorum circa mundum et scientias ipsum stimulasse.⁶ *Dicta philosophorum quae ei falsa esse* videbantur examini subiciebat. Putabat philosophos saepe affirmare tamquam vera quaedam a quibus quilibet sanae mentis naturaliter aversatur; talis, v.g. erat thesis MCTAGGART, affirmantis tempus esse irrealē. Moore totis viribus hos philosophos conabatur refellere. Vir acri ingenio, profundissima penetratione et magna simplicitate, clare perspiciebat in proponendis quaestionibus errorem, confusionem in ordine argumentandi, insufficientes in conclusionibus trahendis rationes. In specie, Idealistae, aiebat, principium immanentiae, in quo eorum systema fundabant, legitimare atque probare debebant. Communiter enim tenebant persuasiones spontaneas de natura realitatis esse falsas et corrigendas, nec crisi philosophicae posse resistere; novas interpretationes, elaboratas sententias, nec non novum loquendi modum requiri. Moore magna tenacia inquirebat cur persuasiones spontaneae falsae essent; cur novae requirerentur. Acriter igitur atque constanter cum inquireret, fallacias detegebat, exponebat errores, mentes illuminabat. Ipse B. RUSSELL⁷ fateatur has inquisitiones a Moore factas sibi quamdam veluti emancipationem liberationemve operatas esse.

Primum fundamentum Novi Realismi condidit Moore cum *Refutationem Idealismi* exaravit, et publici juris fecit anno 1903.⁸ In hac *Refutatione*

⁵ 'The way in which an influential philosopher may undermine the empire of his predecessors consists, one may say, chiefly in his providing his contemporaries with other interests. In the present case the old spells [of Idealism] were broken, and a new spell was cast, chiefly by reason of the character of G.E. Moore.' C.J. WARNOCK, *English Philosophy Since 1900*, 1958, p. 11.

⁶ 'I do not think that the world or the sciences would ever have suggested to me any philosophical problems. What has suggested philosophical problems to me is things which other philosophers have said about the world or the sciences.' *The Philosophy of G.E. Moore*, p. 14.

⁷ Cfr. *The Philosophy of B. Russell*, ed., P.A. SCHILPP, 1944, p. 12.

⁸ 'The Refutation of Idealism', *Mind*, 1903.

auctor in animo habebat, sua propria methodo analytica⁹, principii immanentiae gratuitatem et falsitatem ostendere, et sic praevalentem idealismum in suo fundamento impetere. Quod quidem intentum mirum est quanto successu brevi suo scripto obtinuerit. Lecta enim sua Refutatione, plurimi philosophi, acris suae argumentationis vi succumbentes, primum idealismi fundamentum exinde corruiere concedebant. Sic, sicut Refutationis impetus improvisus erat, ita eius effectus profundus, latus influxus, notitia celebris. Ab ipsis quidem Idealistis agnita est clara quae ibi efferebatur idealismi praesentatio, recta suarum consequentiarum deductio, nec non totius tractationis perspicua argumentatio. ⁹Hinc est quod illa Refutatio momentum historicum merito sortita est; dum enim ex una parte idealismum profligabat, ex altera parte novam, quamvis adhuc imperfectam, realismi formam incohabat. Ceterum etiam specimen quoddam protulit novae methodi linguisticae quae dein valde diffusa est. Quibus omnibus attentis, Refutatio illa ab aliquibus scriptoribus inter praecipua huius saeculi philosophica scripta celebratur; immo eiusdem momenti recensetur ac ipsum celebre principium quod refutare satagit.¹⁰

Tentamen a Moore factum, praesertim in sua parte positiva, dicendum non est undequaque perfectum. Tamen Moore novum aliquod illudque originale argumentum contra idealismum proposuit. Hoc argumentum cognoscere illudque cum magis notis argumentis conferre proculdubio non inutile cuilibet erit. In sequentibus autem integra Refutationis doctrina exponetur, quae postea quoad praecipua assert breviter dijudicabitur.¹¹

⁹ Cfr. C.A. STRONG, 'Has Mr. Moore Refuted Idealism?', *Mind*, 1905, Licet Idealista, Strong haec inter alia scribit: 'Readers of Mr. Moore's 'Refutation of Idealism', in *Mind*, N.S., No. 48, cannot fail to have been impressed with its extraordinary merit. Whether we judge it to be successful or not in its main contention, it is certainly a very searching examination of the principles on which Idealism rests. No previous critic of the theory, so far as I know, has gone to work in so minute and logical a manner, or produced so lucidly reasoned and self-consistent an argument.' Ibid. p. 174.

¹⁰ 'Professor Moore's 'The Refutation of Idealism', published in 1903, is still one of the most famous articles written in philosophy since the turn of the century In any case, because of the influence the wide acceptance of its argument has had on the course of subsequent philosophical thought, the article as published is now a classic and commensurate in importance with the celebrated proposition it attacks.' C.J. DUCASSE. in 'Moore's 'The Refutation of Idealism'', in *The Philosophy of G.E. Moore*, p. 225.

¹¹ De Moore in genere, et de Refutatione Idealismi in specie, utiliter consuli possunt sequentia:

LAIRD, J.A., 'Philosophical Studies', *Mind*, 1923.

I. EXPOSITIO DOCTRINAE 'REFUTATIONIS IDEALISMI'

Refutatio Idealismi exarata est stylo continuo et absque divisionibus. In praesenti autem expositione quaedam divisiones, quae melius suarum partium dispositionem ostendant, introducuntur.¹²

Asserta Idealismi. Idealismus modernus affirmat universum esse spirituale. Hinc certe asserit haec duo: (i) universum esse valde diversum ac videtur esse; (ii) ipsum habere multas proprietates quas non videtur habere. A. v. idealismus vult affirmare universum aliquo sensu nec vita nec conscientia carere; et universo tribuit non tantum conscientiam, sed etiam altiores conscientiae formas, tales nempe, vel saltem talibus analogas, qualibus in ordinaria aestimatione homo excellere dicitur supra res inanimatas.

Consequenter ad has assertiones, idealistica interpretatio mundi ac universi multum ab ordinaria hominum interpretatione differt. Itaque idealismus multas easque varias propositiones probare debet ad hoc ut eius affirmationes acceptari possint.

Momentum et scopus. Praecise ob magnam discrepantiam interpretationis realitatis ab idealismo et a realismo datae, et ob multas excellentes qualitates quas idealismus universo adscribit, multum nostra interest inquirere utrum idealismus verus sit nec ne. Talis autem inquisitio

METZ, R., *A Hundred Years of British Philosophy*, Lond., 1938.

NAGEL, E., 'The Philosophy of G.E. Moore', *Mind*, 1944.

PASSMORE, J., *A Hundred Years of Philosophy*, Lond., 1957.

ROGERS, A.K., 'Mr. Moore's Refutation of Idealism', *The Philosophical Review*, 1919.

SCHILPP, P.A., ed., *The Philosophy of G.E. Moore*, New York, 1942.

STRONG, C.A., 'Has Mr. Moore Refuted Idealism?', *Mind*, 1905.

WARNOCK, C.J., *English Philosophy since 1900*, Lond., 1958.

WHITE, A.R., *G.E. Moore, A Critical Exposition*, Oxford, 1958.

¹² Praetermissa introductione tres praecipuae divisione distingui possunt:

(i) analysis propositionis *esse est percipi*:

tres sensus possibiles inveniuntur; sensus rectus determinatur; stabilitur natura propositionis; sensus diversus Idealistarum examinatur et rejicitur ob errorem aut fallaicam.

(ii) analysis sensationis:

eius elementa sunt conscientia et obiectum; determinatur quid horum in sensatione existat; rejicitur theoria de contento in sensatione, et exponitur analysi realistica sensationis.

(iii) rejicitur idealismus;

ex conflictu cum veritate realistica; ex interna contradictione et ex sequelis absurdis.

plura laboriosa argumenta importat. Quare limitatur scopus huius examinis critici. Auctor non sibi proponit refellere thesim de spiritualitate realitatis; immo putat hoc nec fieri posse. Sed, considerando idealismum complecti non tantum hanc peculiarem conclusionem, sed etiam quaedam argumenta quae ab ipsis Idealistis putantur esse, si non sufficientia, saltem necessaria, ad eorum thesim stabiliendam, ipse vult haec argumenta impugnare. De solis igitur Idealistarum *argumentis* agit, et praesertim de aliquo uno quod ab omnibus Idealistis ut necessarium habetur pro eorum conclusione probanda. Nam, ait Moore, si ostendi potest primam et fundamentalem praemissam totius argumentationis idealisticae falsam esse, tunc, interna argumentationis logica non obstante, conclusio, licet forte in seipsa non falsa, tamen ut mere gratuita censi debet. Quare Moore non intendit probare realitatem non esse spiritualem, nec aliquid positivi de universo in sensu realistico statuere; sed sibi ostendere proponit persuasionem idealisticam, quidquid sit de sua veritate vel falsitate, falso quodam principio inniti, adeoque, nisi ultiores accedant rationes assensum constringentes, Idealistas nullum jus habere eam sustinendi.

Fundamentum idealismi. Propositio fundamentalis pro idealismo quam examini subicere eligit ea est quae principium immanentiae enunciat, h.e. 'esse est percipi'.

Deductio idealismi. Haec propositio non enunciat sed fundat conclusionem idealismi. Conclusio idealismi docet realitatem esse spiritualem atque altioribus qualitatibus mentalibus praeditam quas vox 'spiritualis' denotat. Hoc sane Idealistae *debent probare*. At illud non probant nisi ex alia conclusione, nempe quod 'esse est percipere', quam iterum derivant et statuere conantur ex principio 'esse est percipi'. Eorum argumentatio ita resumitur a Moore: Cum quidquid est sit obiectum experientiae, (i.e. 'experietur' sensu passivo), et cum quaedam sint quae non cognoscuntur experientia ab individuo, necesse est ea partem efformare alicuius saltem experientiae. Vel iterum: cum unumquodque obiectum debeat implicare subiectum, et cum totus mundus debeat esse obiectum quoddam, concipi debet ut pertinens alicui subiecto vel aliquibus subiectis, eodem fere modo quo quidquid est obiectum experientiae pertinet ad nos. Vel tandem: cum cogitatio ingrediatur in essentiam realitatis, debemus sub realitate, in realitate vel tamquam realitatis essentiam concipere spiritum aliquem similem nostro spiritui, nostro, dico, qui cogitamus, et quod spiritus spiritum salutatur in suo obiecto. — Utrum autem hae deductiones

validae sint necne, non est nostrum hic inquirere. Quod nostra hic refert, ait Moore, est ostendere quod, quantumvis forte haec omnia recte deducantur, tamen, si esse non est percipi, Idealistae non valent probare realitatem esse spiritualem plus quam si omnia falsa essent.

ANALYSIS PRINCIPII IMMANENTIAE

At, estne hoc verum quod 'esse est percipi'? – Ut huic quaestioni recte respondere possit, Moore hanc propositionem analyzat eiusque sensum determinat. Primo considerat 'percipi'; deinde sensum copulae statuit; tandem naturam propositionis definit.¹³

Percipi. 'Percipi' in initio solam sensationem significabat; Idealistae vero eius significationem etiam ad cogitationem extendunt. Tamen sensationem a cogitatione recte distinguunt, et potiores partes huic adscribunt. Sensatio et cogitatio hoc in communi habent quod utraque est forma quaedam conscientiae vel modus aliquis experiendi. Quidquid proinde sit de sensu 'esse est percipi', principium hoc saltem affirmat quod quidquid est 'experitur' (sensu passivo). Utrum talis experientia habeatur in sensatione vel cogitatione parum refert. 'Percipi' intelligitur de hoc quod est utrique commune.

Copula. Sensus copulae aliquam difficultatem facit. Quid enim significat 'esse est percipi'? Tres sensus possibiles sunt, ex quibus tertius tantum significationem magni momenti exprimit.

(1) Copula exprimit perfectam identitatem utriusque termini, ita ut 'esse' et 'percipi' sint synonyma, et 'percipi' definiat 'esse'. Iste sensus apprimè excluditur, quia 'percipi' non adhibetur ad definiendum 'esse', nec in hoc casu illud bene definiret.

(2) In secundo sensu significatio copulae ita exprimi potest: Illud quod significatur verbo 'esse', licet non undequaque identicum cum illo quod verbo 'percipi' designatur, tamen hoc tamquam partem suae significationis includit. Ideo to esse reale et to experientia cognosci non sunt identica. 'Esse' dicit plus quam dicit 'percipi'; 'esse' est 'percipi' et aliquid aliud praeter ipsum. 'Percipi', seu experientia, analytice loquendo, est elementum necessarium tou 'esse' seu realitatis, sed non coincidit cum 'esse' seu realitate. Realitas latius patet quam experientia. Hinc ex 'esse' concludere deberemus ad 'percipi', sed non vice versa; ratio est quia 'percipi' est unum tantum ex attributis realitatis,

¹³ Moore fere nihil dicit de ipso *esse*.

quod non necessario secumfert cetera attributa necessaria. Hoc igitur secundo modo propositionem intelligendo, sensus copulae nobis dicit quod 'esse' est 'percipi' *plus* aliquid aliud. Dicit praeterea realitatem esse *aliquod totum complexum*; 'percipi' vero, seu experientiam esse partem huius totius complexi. Sin autem ex principio 'esse est percipi' de realitate haec tantum cognoscimus, nullam exinde valde attendam consequentiam eruere possumus. Ad hoc autem ut quasdam magni momenti consequentias ex iam cognitis inferre possimus, admittamus oportet realitatem non solum esse complexam modo iam explicato, sed eam esse etiam organicam. Quod autem cum admittamus tertium sensum propositionis 'esse est percipi' obtinemus; qui sensus, ut iam dictum est, unicus est qui momentum habet.

(3) Tertius proinde sensus copulae affirmat realitatem, quae est complexa et includit 'percipi' ut partem, esse *organicam*, hoc saltem sensu, quod eius constituentia quae non includuntur sub parte 'percipi' *dari nequeant sine 'percipi'*, etiamsi 'percipi' possit dari sine ipsis. Clarity gratia res ita exprimi potest: Realitas, cum sit complexa (i.e., duabus elementis constans) et organica (i.e., cuius una pars secumfert alteram) includit in suis constitutivis partem 'percipi' et alia, quaevis illa sint, constitutiva, quae, ex conventionem vocemus X. Nunc igitur: noster tertius sensus dicit: Realitas (seu 'esse') constat ex 'percipi' et illo X; posito autem realitatem esse organicam, principium 'esse est percipi' dicit: ubicumque habetur X ibi habetur et 'percipi': quidquid habet proprietatem X, habet etiam proprietatem quod percipiatur; a.v., X dari nequit quin percipiatur.

Addit insuper Moore has duas magni momenti observationes: (a) Idealistae *debent* admittere illud X, secus enim 'esse est percipi' esset mera tautologia; (b) Idealistae debent admittere *etiam* illationem illius X a 'percipi', secus enim 'esse est percipi' esset tantum sterilis quaedam propositio analytica.

His dictis Moore diversam ac Idealistarum terminologiam adhibet, illudque X vocat simpliciter *esse*. Quare, iuxta ipsum rectus sensus formulae idealisticae debet esse ita: *Realitas constat ex esse et percipi, ita ut quidquid est percipiatur*.

Itaque principium hoc modo intellectum affirmat necessariam connexionem inter existentiam et experientiam.

Proinde formula 'esse est percipi' est *propositio synthetica necessaria*.

Sensus diversus Idealistarum eiusque motiva. Hanc propositionem Moore vult refutare. Sed, advertit ipse, propositio talis est quae refutari nequeat. Si enim Idealista eam esse per se evidentem affirmat, nihil contra ipsum fieri potest praeter hoc quod eius assertum simpliciter negetur. Nemo enim qui terminorum sensum clare comprehendat illam propositionem aut affirmare poterit aut veram esse crederit. Et sane de facto nec ipsi Idealistae eam esse per se evidentem tenent. E contra alia via procedunt, et, ad eius veritatem sustinendam, aut errorem aut fallaciam committunt. Quod quidem ex eo contingit quod non advertunt eam, si sit vera, veritatem syntheticam necessariam ac *mere* per se evidentem esse debere. E contra, Idealistae illi propositioni alium sensum, eumque falsum, adscribunt, (a) aut eam cum alia propositione falsa et contradictoria identificando (*en error*); (b) aut pro ea rationem afferendo quae falsa est quia contradictoria (*en fallacia*). Secus deberent agnoscere eam esse omnino gratuitam.

Antequam Idealistarum errorem atque fallaciam explicet, Moore varias considerationes praemittit.

Secundum Idealistas quidquid percipitur necessario percipitur. Quod communiter exprimunt cum dicant: obiectum experientiae concipi nequit independenter a subiecto cognoscenti. Secundum Moore hoc assertum, ut sit veritas alicuius momenti, debet habere sensum ab ipso expositum. Iste autem sensus non est ille quem Idealistae per eorum assertum intelligunt; eorum autem sensus est falsus.

In praesenti tamen quaestione recta solutio ab hoc pendet, utrum sensus propositionis Idealistarum sit syntheticus — sicut secundum Moore debet esse sensus rectus —, an e contra analyticus. De istis terminis hoc docet Moore: Veritates necessariae in genere, sed praesertim illae quarum oppositum concipi nequit, communiter retentae sunt esse analyticae, eo sensu quod propositio illas negans sibi contradicit. Hoc modo falso putabatur posse solo principio contradictionis probari. Propositio analytica ea est quae solo principio contradictionis potest probari. E contra dicitur synthetica ea quae hoc modo nequit probari. Ex hac definitione patet unam eandemque veritatem non posse esse simul analyticam et syntheticam. — Attamen Idealistae videntur hoc affirmare. Cuius rei ratio est, putat Moore, quod de facto, licet explicitis verbis hoc negent, Idealistae tenent aliquas veritates posse solo principio contradictionis probari.

Error et contradictio. His dictis ad formulam idealisticam redit. Jam affirmaverat Auctor Idealistas identificare propositionem 'esse est percipi'

(in sensu quem ipse ut rectum statuit) cum alia propositione falsa et contradictoria. Haec propositio reducit illam formulam ad veritatem *analyticam* cuius termini sunt *identici* quoad sensum. Hinc Moore putat Idealistas sustinere earum peculiarem doctrinam de relatione subiecti et obiecti in experientia, quia putant illam propositionem esse analyticam hoc restricto sensu quod possit solo principio contradictionis probari. Idealista tenet obiectum et subiectum necessario connecti praepremis quia non videt ea esse *distincta*, i.e., ea esse revera duo et non unum. Cum cogitat e.g. 'flavum' et 'sensationem flavi', non videt hanc continere plus quam illud. Quare pro ipso negare flavum posse esse independentem a sensatione flavi idem est ac negare illud posse unquam esse aliud praeter seipsum, cum flavum et sensatio flavi sint omnino identica. Asserere flavum esse necessario obiectum experientiae est asserere flavum esse necessario flavum — propositio sc. mere identica quae proinde solo principio contradictionis potest probari. — Attamen ipsa propositio contradictionem implicat. Implicat enim experientiam vel sensationem flavi esse distinctam a flavo. Secus enim, cur insistitur *flavum* esse *sensationem*? Et sic, cum argumentum simul affirmet et neget flavum et sensationem flavi esse distincta, sibi contradicit et seipsum refutat. Haec autem contradictio facile non advertitur, praecise ob naturam experientiae, de qua, licet scimus eam esse aliquid magni momenti, tamen numquam scimus distincte quid significet, et sic in unoquoque casu ad eius praesentiam non advertimus. Facta se praesentant sub forma huius antinomiae: (i) experientia est aliquid sui generis a quocumque alio distincta; (ii) experientia viridis omnino nequit distingui a viridi; — duae propositiones quae nequeunt esse simul verae. Idealistae qui utramque retinent debent in quibusdam ex prima, in caeteris ex altera argumentari.

Fallacia. At plures Idealistae ut gratuitam rejiciunt accusationem se non distinguere inter sensationem seu ideam et illud quod Moore vocat eius obiectum. Immo plures insistunt hanc distinctionem esse magni momenti pro eorum systemate. Asserunt tantum haec duo efformare quamdam unitatem inseparabilem. Attamen, hoc non obstante, dicit Moore, non exinde sequitur eos talem distinctionem revera non negare. Etenim viget apud ipsos quaedam doctrina iuxta quam duae res simul distinguuntur et non distinguuntur. Affirmatur scilicet aliqua distinctio; sed affirmatur etiam res ita distinctas efformare unitatem quamdam organicam, ita ut, vi huius unitatis organicae, utraque non sit id quod est independentem ab eius relatione ad alteram. Hinc, dicunt, considerare utramque

seorsim ab alterutra esset facere abstractionem illegitimam. — Contra quae Moore observat abstractionem esse illegitimam tunc tantum cum de *parte* abstracta praedicatur quod unice convenit *toti*. Principium autem de abstractione illegitima ab Idealistis ita applicatur ut asserat quod quaedam abstractiones sint in omni casu illegitimae; quod cum aliquid affirmatur de quadam parte alicuius totius organici, illud quod asseritur unice convenit *toti*. Quod sane falsum est. Nam, si in omni casu totum esset substituendum pro parte, ratio esset quia totum et pars sunt omnino identica. Cum igitur dicitur viride et sensationem viridis esse certo distincta sed non separabilia, vel illegitimam abstractionem esse considerationem alterius independentem ab altero, hoc significat haec duo, quamvis distincta, non solum posse, sed etiam debere tractari ac si distincta non essent. Plures igitur philosophi, cum distinctionem admittunt, tamen, exemplum HEGEL sequentes, jus etiam eam negandi usurpant. Principio unitatum organicarum, sicut et illo de combinata analysi et synthesisi, utuntur ad defendendam praxim tenendi utramque propositionem contradictoriam quandocumque hoc eis conveniens est. In hoc, sicut et in aliis rebus, praecipuum contributum HEGEL ad philosophiam in eo consistebat quod nomen dederit et in principium erexerit aliquam speciem fallaciae cui experientia monstravit non solum homines rudes, verum etiam et philosophos addictos esse. Nil mirum si assecias habuit et admiratores.

Resumitur argumentum. Quae hucusque dicta sunt possunt ita breviter nostris verbis resumī: Principium 'esse est percipi' affirmat necessariam connexionem inter 'esse' et 'percipi'. Uterque autem terminus est distinctus, et propositio est synthetica. Quicumque hoc clare videt, et intelligit 'esse' et 'percipi' omnino distincta esse, non potest affirmare quod 'esse est percipi'. Idealistae autem qui hoc affirmant, aut distinctionem inter 'esse' et 'percipi' *non* vident, et sumunt propositionem 'esse est percipi' tamquam analyticam, quod falsum est; aut ad iustificandam suam affirmationem recurrunt ad doctrinam de 'unitate organica', quae, prout ab ipsis applicatur, contradictionem implicat. Hac fallacia detecta, quam gratuitum sit principium immanentiae cuilibet patet.

ANALYSIS SENSATIONIS VEL IDEAE

Cum nucleus problematis idealismi consistat in definienda relatione inter subiectum et obiectum in cognitione, Moore, volens immanentismum refellere et realismum sive criticum sive metaphysicum vindicare, habitu-

dinem inter haec duo investigat, scilicet inter 'esse' ex parte obiecti, et 'percipi' ex parte subiecti. Quam investigationem perficit analysim instituendo datorum 'percipi' seu experientiae cognoscitivae. Et sic quaerit quid sit cognitio; in concreto quid sit sensatio vel idea;

'Contentum' et 'objectum'. Primus gressus habetur in comparatione diversarum sensationum. Nobis compertum est, ait Moore, sensationem v.g. caerulei differre a sensatione v.g. viridis. Sed utraque, ut patet, est sensatio, et proinde utraque aliquid commune habet, licet in aliis ab altera differt. Quid praecise in communi habet? Et quomodo elementum commune ad elementum deversum se habet?

Elementum commune vocat *conscientiam*. Sic quaevis sensatio duplici distincto elemento constat, (i) conscientia scilicet in qua cum caeteris sensationibus convenit; et (ii) aliquo alio in quo ab omni alia sensatione differt. Hoc aliquid aliud eius 'objectum' vocatur.

Hinc omnis sensatio duo elementa distincta complectitur, nimirum conscientiam nec non obiectum. Quod sane ita debet esse, si sensatio caerulei et sensatio viridis, licet sub uno respectu diversa, sub alio vero respectu sunt similia; caeruleum enim est unum obiectum sensationis, et viride est alterum obiectum sensationis, et conscientia, quae utrique sensationi est communis, ab alterutra differt.

Advertit autem Moore sensationem aliquam determinatam, v.g. caerulei, non semper haberi, sed aliquando adesse et aliquando deesse. Scito autem sensationem constare ex conscientia et obiecto, exsurgit quaestio: utrum, habita v.g. sensatione caerulei, in rerum natura existat caeruleum tantum, an conscientia tantum, an potius utrumque. Et hoc saltem clarum est: has tres alternativas ab invicem penitus distinguere, ita ut error contradictorius sit affirmare idem esse dicere 'caerulum existit' ac dicere 'et caerulum et conscientia existunt'.

Sed aliud quoque factum clarum est. Cum enim de sensatione agatur, proculdubio existit conscientia, quae necessario in omnem sensationem ingreditur. Tunc remanent duae dumtaxat alternativae: aut, habita sensatione, existit sola conscientia, aut conscientia et obiectum. Et etiam istae alternativae se mutuo excludunt. Qui igitur affirmat, ut faciunt Idealistae, existentiam caerulei aliud non esse nisi sensationem caerulei, errorem contradictorium committit; aut enim asserit caeruleum idem esse ac caeruleum *cum* conscientia, et sic identificat partem sensationis (caeruleum) cum tota sensatione (caeruleum et conscientia); aut asserit caeruleum esse idem ac conscientia, et sic identificat unam partem sensationis (caeruleum) cum altera parte (conscientia). Sic Ideal-

istae contradictorie identificant obiectum cum sensatione, 'esse' cum 'percipi'. Contra ipsos nos possumus, immo et debemus concipere existentiam caerulei ut aliquid omnino distinctum et independens ab existentia correspondentis sensationis. Possumus, et quidem debemus, concipere caeruleum potuisse exsistere, etiamsi nulla de eo sensatio extitisset. Idealistae possibilitatem negantes res hoc modo concipiendi, aut contradictionem affirmant, aut asserunt tantum caeruleum de facto exsistere non posse quin sensatio de eo etiam exsistat. Et sane mirae conclusiones idealismi et agnosticismi ex hoc unice obtinentur quod identificatur v.g. caeruleum cum sensatione caerulei; 'esse' nimirum omnimodo cum 'percipi' adaequatur solum quia illud quod experientia cognoscitur putatur esse identicum cum experientia eius.

Remanent proinde duae illae alternativae: Habita sensatione, quid revera existit, sola conscientia, an conscientia simul et obiectum?

Cui quaestioni communiter respondetur, utrumque exsistere.

At cur ita respondetur? Moore in primis rationem exponit quae communiter datur, eamque ut erroneam rejicit; deinde suam propriam rationem effert.

Erronea explicatio. Existentia conscientiae simul et obiecti a pluribus explicatur per aliquam analysim sensationis vel ideae, quae tamen falsa est. Sensationem enim vel ideam isti ut aliquid totum considerant in quo duplex elementum distinguunt: (i) factum existentiae sensationis vel ideae; et (ii) 'contentum' eiusdem, sc. illud quod tali sensatione vel idea cognoscitur. Illud itaque quod Moore 'obiectum' sensationis vel ideae vocat, isti 'contentum' appellant. — Ad falsitatem huius analysis ostendendam Moore investigat quid illa vox 'contentum' sibi velit.

De 'contento'. Quid significat aliquid esse contentum alterius? Contentum alicuius rei, ait Moore, illud est quod affirmamus exsistere cum aliquam rem exsistere dicimus. Itaque, si consideratur flos caeruleus, caeruleum recte dicitur *pars contenti* floris caerulei. In hoc casu caeruleum se habet ad caeteras partes floris caerulei sicut earum qualitas. Sin autem consideratur sensatio caerulei, et dicitur caeruleum esse *partem* contenti eius, tunc, cum partes sensationis caerulei sint conscientia et caeruleum, caeruleum se habet ad alteram partem sensationis caerulei, h.e. ad conscientiam, sicut eius *qualitas*. Relatio caerulei ad conscientiam concipitur ut relatio qualitatis ad aliquam *rem*.

Sed in analysi sensationis quae crisi subicitur, sensatio analyzata est in 'contentum' et 'existentiam'. Hic habetur quaedam ambiguitas.

Etenim vox 'contentum' dupliciter sumi potest: (i) si 'contentum' designat *totum* quod dicitur existere cum affirmatur sensationem existere, tunc caeruleum non est totum contentum, quia totum quod in sensatione caerulei existit est caeruleum *et* conscientia. Ergo analysis sensationis caerulei in 'contentum *caeruleum*' et 'existentiam' falsa est. (ii) Habetur autem alius sensus in quo caeruleum posset dici contentum sensationis, nempe cum 'contentum' sicut εἶδος opponatur 'substantiae' vel 'materiae'. Etenim cum conscientia sit elementum commune omni sensationi, considerari potest ut earum 'substantia,' et tunc 'contentum' uniuscuiusque sensationis designaret illud in quo una sensatio ab alia differt. Hoc sensu 'caeruleum' posset vocari 'contentum' sensationis. Sed in hoc casu analysis in 'contentum' et 'existentiam' saltem ambigua evadet, quia sub 'existentia' debemus includere illud quod in sensatione existit praeter caeruleum.

Imago mentalis. Concludit Moore universaliter receptam esse hanc sententiam, caeruleum scilicet dici contentum ideae vel sensationis caerulei. Quae sententia, si vera sit, debet significare caeruleum esse partem eius quod affirmatur existere cum dicitur sensationem existere. Sensatio autem caerulei, iuxta Moore, complectitur conscientiam et caeruleum. Tunc caeruleum ad conscientiam se habet sicut qualitas eius. Sic, ait Moore, sensatio consideratur ut aliqua *res*, et illud quod ipse vocat eius 'obiectum' dicitur esse qualitas huius rei. Talis res est illud quod cogitamus cum de imagine mentali cogitamus. Imago mentalis, ait Moore, concipitur ut relata ad illud cuius est imago praecise sicut imago in speculo refertur ad obiectum quod reflectit. In utroque casu contentum est idem, et imago in speculo differt ab imagine in mente tantum quia in primo casu alterum elementum est vitrum, dum in secundo est conscientia. Si imago est caerulei, istud 'contentum' non concipitur habere aliam relationem ad conscientiam ac ad vitrum habet; concipitur enim mere ut eius contentum. Et quia sensationes et ideae considerantur ut 'totalitates' huius generis, nempe res in mente, quaestio: Quid cognoscimus? consideratur ut identica quaestioni: Quamnam rationem habemus supponendi dari res extra mentem quae correspondent iis quae sunt intra?

His dictis Moore haec duo observat: (i) Nulla ratio adest supponendi dari ulla imagines mentales, vel caeruleum esse partem contenti sensationis caerulei; et (ii) etiamsi dentur imagines mentales, nulla imago mentalis et nulla sensatio seu idea est *mere* res huius generis; 'caeruleum', etiamsi sit pars contenti imaginis vel sensationis vel ideae

caerulei semper ad hanc referri *etiam* alio modo; et haec relatio, ommissa in analysi traditionali, est unica quae sensationem caerulei factum mentale constituit.

Recta analysis. Sic Moore rectam ac veram quam putat analysim sensationis vel ideae exponit. — Elementum omni sensationi vel ideae commune, ait ipse, est conscientia. Sensatio est revera cognitio, advertentia, experientia alicuius. Cum scimus dari sensationem caerulei, hoc quod scimus est dari advertentiam caerulei ('an awareness of blue'). Et haec advertentia non solum est quid distinctum et sui generis, quod omnino differt a caeruleo, sed insuper habet relationem omnino distinctam et sui generis ('unique') ad caeruleum, relationem nempe non alicuius rei seu substantiae ad contentum, nec partis contenti ad alteram partem contenti. Haec relatio ea est quam in omni casu cognitionis intelligimus. Habere in mente cognitionem caerulei non est habere *rem* vel *imaginem*, cuius caeruleum est contentum. Habere sensationem caerulei non est advertere imaginem mentalem, vel rem cuius caeruleum et aliquod aliud elementum sunt partes constituentes. Est advertere ad advertentiam caerulei. Hoc elementum a theoria contenti negligitur. Haec theoria omnino non exprimit factum quod in sensatione caerulei datur haec relatio sui generis inter caeruleum et alterum elementum constitutivum. Quae omissio ex eo provenit quod, licet philosophi agnoverint aliquid distinctum per conscientiam connotari, tamen numquam claram conceptionem habuerunt quid hoc sit. Numquam potuerunt conscientiam et caeruleum coram mente sistere eaque ad invicem comparare, sicut comparare possunt caeruleum et viride. Cuius ratio est quod, cum nostram attentionem in conscientiam vertimus et videamus distincte quid sit, haec evanescere videtur, et nos veluti coram vacuo relinquimur. Cum sensationem caerulei introspicere conamur, totum quod videre valemus est caeruleum; aliud elementum, h.e. conscientia, veluti transparet. At cum attente inspiciamus, possumus illam distinguere, si scimus praesertim adesse aliquid quod inspiciatur.

Cum igitur sensatio caerulei complectatur in sua analysi *et* elementum sui generis (conscientiam seu advertentiam), *et* relationem sui generis conscientiae ad caeruleum, possumus intelligere quid duae sequentes propositiones significant, nempe: (i) caeruleum probabiliter non esse partem contenti sensationis caerulei; et (ii) etiamsi esset, sensationem nihilominus non esset sensationem caerulei, si caeruleum hanc tantum relationem ad eam habuisset. Etenim ex prima propositione sequeretur quod, quando habetur sensatio caerulei, haberetur conscientia *caerulea*(!);

caeruleum enim esset *qualitas* conscientiae. Utrum haec conclusio vera sit necne determinare non possumus, nec multum nostra refert; nulla autem ratio hoc admittendi habetur. At, quidquid sit, nostra conscientia ad aliam veritatem magni momenti cognoscendam nos ducit, nempe nostram conscientiam esse *caerulei*; quod significat nostram conscientiam ad caeruleum distinctam eamque diversam relationem habere. Forsitam, ait Moore, mea conscientia est caerulea sicut est caerulei; de hoc autem certus sum eam esse *caerulei*; eam nempe ad caeruleum ita ordinari seu referri ut haec sola ordinatio seu relatio jus tribuat distinguendi cognitionem rei a re cognita, nimirum mentem a materia. Et hoc exprimi potest cum dicatur contentum sensationis esse revera sensationis *obiectum*.

Mentem Moore cum interpretemur, suam cognitionis doctrinam sic paucis verbis resumere posse videtur: Sensatio definiri potest: *advertentia interna obiecti externi*. Sensatio his duobus tantum elementis consistit; advertentia seu conscientia (awareness), et obiecto. Inter haec duo habetur peculiaris relatio, in quantum advertentia ordinatur ad obiectum externum; est scilicet aperta ad obiectum extra ipsam. Proinde, ait Moore, nullum problema existit quomodo possimus exire extra ambitum nostrorum sensationum et idearum ad amplectendam obiectivam realitatem; nam habere sensationem est iam exire extra illum ambitum seu circulum. Est habere fenestram apertam supra realitatem; est aspicere et intueri reale. Illud quod alii contentum sensationis vocant non est nisi ipsum obiectum reale, et, praeter hoc obiectum reale, in sensatione habetur unum tantum elementum, conscientia seu advertentia.

REJICITUR IDEALISMUS

Posita hac explicatione relationis subiecti et obiecti in cognitione, quid de positione idealistica dicendum est? In ultima parte Refutationis Moore duo conatur ostendere: (i) Idealistarum sententiam, iuxta quam obiectum est mere 'contentum' sensationis, falsam esse; (ii) ex hac sententia aliquas absurdas consequentias sequi quae admitti nequeant.

I arg. Ex conflictu cum veritate realistica. Ad primum Moore sic argumentatur: Idealistae affirmant omnia esse *dependentem ab aliqua experientia*, utique non dependentem ab eorum individuali experientia, at nihilominus ab experientia alicuius subiecti. Admittunt proinde quaedam non esse dependentem ab experientia individui, h.e. quaedam non esse *aspectus* ab individuali experientia *inseparabiles*. Immo admittunt quae-

dam quae ab ipsis percipiuntur, terminata eorundem ab individuo perceptione seu experientia, in existentia pergere. Attamen, dicunt, omnia quae sunt, pro eorum esse ab experientia alicuius dependent. Et ad hoc concludunt quia putant quaedam saltem esse tantummodo dependenter ab ipsorum (Idealistarum) experientia, seu, a.v., quaedam esse aspectus inseparabiles *propriae* experientiae. Tales inseparabiles eorum *propriae* experientiae aspectus, dicunt, sunt illi quos sensationum seu idearum 'contentum' vocant. — Contra hoc, Moore, sua propria explicatione sensationis innixus, dicit Idealistas debere non solum *quaedam* ut a propria activitate cognoscitiva independentia agnoscere, verum etiam *omnia* quae ab ipsis ope sensationis cognoscuntur ut talia habere. Etenim sensatio non solum *quandoque* rem ut a seipsa distinctam refert, sed *semper* ad rem quae *non est* suiipsius inseparabilis aspectus ordinatur. Si igitur numquam experimur nisi quod non est inseparabilis aspectus illius praecise experientiae, quomodo inferre umquam possumus ullum quid, immo omnia quae sunt, esse inseparabiles aspectus cuiuslibet experientiae, quaevis illa sit? Quam omnino gratuita et infundata sit assumptio quod 'esse est percipi' cuilibet liquido appareat.

II arg. Ex interna contradictione. At insuper incohaerentiae internae et conclusiones inadmissibiles ex principio Idealistarum logice sequuntur quas haud praetermittere debemus. Statuto enim principio immanentiae sequitur: (i) conscientiam esse *nihili*, proinde nec ipsius subiecti nec alterius a subiecto distincti; (ii) periculum solipsismi nullo modo posse logice vitari.

Ad (i): Idealistae ponunt obiectum cognitionis esse immanens cognitioni, esse scilicet contentum seu aspectum ab experientia inseparabilem. Quidquid indicatur, dicunt, quidquid cogitatur vel percipitur, est aequae contentum iudicii, cogitationis vel perceptionis seu experientiae ac caeruleum est contentum sensationis. Sed si ita est, tunc Idealista, cum credit se esse conscius suiipsius vel cuiuslibet alterius individui, revera conscius illius non est. Ex sua enim theoria sequitur et seipsum et illum alium individuum esse revera mere contentum conscientiae quae *nihili* omnino conscia est. Summum quod dici potest est dari in ipso conscientiam cum aliquo contento; numquam autem verum esse poterit dari in ipso conscientiam *de* aliquo. Similiter numquam conscius est nec suae *propriae* existentiae nec spiritualitatis realitatis. Hoc tantum admittere potest, propriam scilicet existentiam nec non spiritualitatem realitatis esse contentum alicuius conscientiae, quae de nihilo conscia est — nec proinde sui ipsius contenti.

III arg. Ex periculo solipsismi. Ad (ii): Si omne illud cuius Idealista conscientiam habet, revera est tantum contentum suae propriae experientiae, tunc nullum jus habet retinendi quidpiam praeter seipsum existere. Sane non sequeretur ex suis principiis nihil omnino praeter seipsum existere; quare solipsismus non necessario statuitur. At nullo pacto potest Idealista ex suis principiis illum excludere. Quod ipse Idealista existat sequeretur ex praemissa omnia alia esse contentum reduplicative *ipsius* experientiae. Sed cum omnia alia et omnes alii considerentur ut contentum suae conscientiae, tunc Idealista non potest istis omnibus existentiam tribuere nisi quatenus sunt aspectus inseparabiles suae conscientiae, a.v. nisi quatenus sunt pars suiipsius.

Recapitulatio et conclusio. Istae sunt sequaelae quae logice sequuntur ex suppositione idealistica obiectum experientiae esse mere contentum seu aspectum inseparabilem eiusdem experientiae.

Positio autem idealistica clare videbitur esse falsa statim ac intelligitur natura relationis conscientiae ad obiectum. Haec enim est ad realitatem coram ipsa stantem directe aperta. Conscientia est semper de obiecto ab ipsa independenti, et semper ad obiectum ab ipsa distinctum refertur. In hoc peculiaris conscientiae ad obiectum relatio consistit. Quae vero relatio ad naturam conscientiae qua talem pertinet, ita quidem ut conscientia, cum in sensatione, tum in perceptione, tum etiam in reflexione, semper suum obiectum directe intueatur. Et sane conscientia suum obiectum ita advertit ut simul advertat ipsum obiectum eodem modo a parte rei se habere sive habeatur sive non habeatur conscientia eiusdem. Erravit proinde BERKELEY cum poneret solam rem cuius directe conscius sum esse meas sensationes ac ideas; erravit et KANT cum putaret obiectivitatem rerum in spatio in eo consistere quod sunt 'Vorstellungen' habentia ad invicem deversas relationes ac habent in subiectiva experientia. 'Sane, ait Moore, aequae directe conscius sum existentiae rerum materialium in spatio ac ipsarum mearum sensationum; illudque cuius conscius sum relate ad haec omnia est idem omnino, h.e., in primo casu res materiales, in altero vero casu meas sensationes revera existere.' Hinc quaerendum non est quamnam rationem habeamus supponendi aliquid existere quod nostris sensationibus corrispondeat, sed, quamnam rationem habeamus supponendi res materiales non existere, cum eadem prorsus evidentia habeatur de ipsis sicut de nostris sensationibus. Utique forte neutrum existit. At si ad dubitandum de existentia rerum materialium sufficit dicere eas esse aspectus inseparabiles nostrae experientiae, tunc eadem ratio probat etiam nec ipsam

nostram experientiam existere, cum etiam nostra experientia sit inseparabilis aspectus nostrae experientiae de ea. Sic igitur si non admittitur existentia et spiritus et materiae, unica logica via quae remanet est absolutum scepticismum profiteri, seu dicere aequè probabile esse nihil existere. Omnes aliae suppositiones, tum Agnostici – quaedam saltem existere, tum Idealistae – existere tantum spiritum, si nullam rationem habemus admittendi materiam, non minus quam despectissimae superstitiones, quolibet prorsus fundamento omnino carent.